

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Venerendo uiro,&c. D.Georgio Buchholzero,amico suo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Chr. Lysius.

Reuerendo uiro, D. N. N. pastori Eccle-
siae Dei in ueteri Bremi arce, fratri
suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Me-
tuebam uenientis anni motus, propter Saturni &
Martis coniunctionem. Nunc accedit cometa, cuius
est magna moles, ardens in uirgine prope *magor-
yuraw* tota serè nocte conspici potest. Cum igitur
magnae rerum confusiones secuturæ sint, ardentio-
ra sint pectora in inuocatione filij Dei, qui dixit:
Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. ac profe-
cto magna doctrinarum certamina magis metuo,
quàm alia bella: quanquam illa etiam petulantiam
ingeniorum augent. Te filij Dei Domine Iesu Chri-
ste, caput Ecclesie, *ἀρχὴ καὶ ἐπὶ αἰῶν* æterni Patris om-
nipotentis, oro, ut nos gubernes & serues. Bene-
uale, charissime frater, & rescribe. 7 Martij. Mit-
to pagellas.

Venerendo uiro, &c. D. Georgio Buch-
holzero, amico suo,

S. D. Venerande uir, & amice charissime. E-
xempla carminum filij uobis mitto: quæ libenter
edi curavi, ut hac celebritate filius inuitaretur, ut
hæc studia & magis amet, & libētius exerceat. De-
inde uobis etiam uoluptati esse filij indolem, & iu-
dicia de eo honorifica uolo. Dei beneficio, uena est
satis

fatis foelix: ac ualde optarim ei proponi materias,
 quæ gignerent aliquanto grandiores uersus. Ore-
 mus autem Deum æternum patrem Domini nostri
 Iesu Christi, conditorem generis humani, & Eccle-
 siæ suæ, ut regat multorum ingenia, ut fiant *oues* &
yoies, & organa salutaria Ecclesiæ. Nescio unde
 sit tantū odium aduersus me in ueteribus quibus-
 dam amicis, cum ipsi sciant nullum nouum dogma
 à me genitum esse, & in quibusdam mediocri stu-
 dio quesitam esse ueram & propriam explicatio-
 nem: quam diu etiam his Ecclesijs ad concordiam
 profuisse consentaneum est. Sed Ecclesiam & me
 Deo commendo. Salutem opto clarissimis uiris, do-
 mino Cancellario, domino Gregorio, domino Suol-
 lio, & alijs amicis. Typographo pro exemplis sa-
 tis feci, quæ dono filijs uestris. Bene ualete. Die 28
 Octobris.

Egregia pietate & eruditione prædito,
 D. Georgio Solino, pastori Ecclesiæ
 in Tangermund, ami-
 co suo,

S. D. Pium officium, & mihi pergratum facis,
 quòd Flådrum, de quo scripsi, curas prouehere ad
 ministerium Euågelij. Est enim, quantum iudicare
 possum, uir pius, placidissimis moribus, & bene do-
 ctus. Cum erit occasio, uocabis eum. Eaq; de re lite-
 ras.

A 5 146